

Christoph Philipp Erp-Brockhausen


Specimen Exegeseos Sacrae Pro Explicando Psalmo L. : In Quo Nova Hypothesis Ad Illustrationem Hujus Psalmi Modeste Proponitur, Diligenter Explicatur Et Probatum : Additur Quoque In Fine Analysis Exegetica Totius Psalmi

Lemgoviae: Typis Joannis Henrici Meyeri, MDCCXLVII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869670808>

Druck Freier  Zugang





393

a. B.
48. b. 8.

Phys. L. C. - 1247

La - 1092 (113)

Fa - 1092.





12.
SPECIMEN
EXEGESEOS SACRAE
PRO EXPLICANDO

PSALMO L.

IN QUO
NOVA HYPOTHESIS
AD
ILLUSTRATIONEM HUIUS PSALMI

MODESTE PROPONITUR, DILIGENTER EXPLICATUR ET
PROBATUR
ADDITUR QUOQUE IN FINE ANALYSIS EXEGETICA
TOTIUS PSALMI

AUCTORE
C. P. ERP - BROCKHAUSEN
TALLÆ IN COMITATU LIPPIACO V. D. M.



KLUCKIST 50 S.
in
sui memoriam
mei
Auctor

LEMGOVIAE,
Typis JOANNIS HENRICI MEYERI.

ALL. E. LIPPIAC. E. TYROGR.

EXHIBITION OF THE
SACRIFICE

PSALM

NOVA HYPOTHESIS

ILLUSTRATIONEN

ADDITION OF THE

C. P. ERP - BROCKHAUSEN

JOHANNES HEINRICH MEYER

Illustrissimo & Celsissimo
COMITI AC DOMINO,
DOMINO

**SIMONI
AUGUSTO,**

Comiti ac Nobiliori Domino
Lippiaë &c.

Supremo Domino Vianæ & Ameydæ, &c.
Burgravio Hæreditario Ultrajecti &c.

FUTURO REGENTI,
OPTIMO, FELICI.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

A 2

1
1
15
17
19 27
20 26
215
22
23
24

Illustratio & Celsitudo
COMITI AC DOMINO
DOMINO

SIMONI
AUGUSTO

Comiti ac Nobiliori Domino
Lippiz &c.

Supremo Domino Vnae & Ancestrae &c.
burgavio Hantiano Urstori &c.

FUTURO REGENTI
OPTIMO FELICI

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

A 2



taceum munusculum est, quod nullo se nomine commendare facile poterit; præterquam solo offerentis animo, humili illo quidem; at pio, sincero, Tibique penitus devoto. Verum enimvero hujusmodi potissimum munera illi expectare solent, quos provida Dei cura ac natalium illustris splendor, supra communem mortalium conditionem evexit, & ad regendum alios natos esse voluit. Hi, siquidem Dei vices in terra gerunt, iis etiam maxime delectantur donariis, quæ voluntatem magis quam facultates produnt: atque eo ipso divinarum vestigia virtutum exprimere cum maxime gaudent. Ecquis vero dubitet, *Domine Clementissime!* eundem in *Te* animum, mentisque celsitudinem residere? Quare importunus admodum forem, si longiori verborum excusatione patientiam *Tuam* morari vellem. Etiam si quam plurimis ad commendandum leve hoc & exiguum scriptum rationibus abundarem. Unicum tamen addere liceat, quod omnem numerum apud *Te* impleturum certe scio. Verbo dicam: argumentum scripti sacrum est, ex sacra scriptura, qua nihil potius habes, depromptum. Illustrare enim pro ingenii mei modulo hic conor Psalmum Quinquagesimum, cui ex hypothesi nova, modeste, ut decet hominem veri amantem, proposita, lucem inferre tento. Equidem
psal-

psalmum hunc esse propheticum juxta cum aliis teneo. Duplicemque in eo personam loqui, cum plurimis, iisque magni nominis Interpretibus, certum habeo. In eo vero viam paulo diversam ingressus sum: Quod in prima psalmi parte a versu primo ad septimum usque, insignem illum Praeconem & Praecursorem Regis nostri Jesu Christi, Johannem Baptistam, loquentem introduci probare volo. Quemadmodum in altera parte, a versu septimo usque ad finem psalmi, ipsum illum Regem gloriae, Servatorem nostrum Jesum Christum, verba facere extra dubitationis aleam ponere annitor. Qua vero industria ac fide hæc præstiterim, meæ me tenuitatis sensus dicere prohibet. Atque hoc ipsum, cum primum & publicum laborum meorum specimen sit, Tibi illud inprimis, *Celsissime Comes, Domine Clementissime!* jure meritoque deberi, ii haud difficulter agnoscent, qui norunt *Tuis* me terris, id est *Lippiacis*, Parentes, Vitam, Munus sacrum, cæteraque vitæ Bona, verbo: me meaque omnia, post Deum immortalem debere.

Accipies igitur *Celsissime Comes Domine Clementissime!* ita spero, vultu benigno animoque clementi, levidense hoc & chartaceum munusculum: atque insuper hominem pietatis suæ ac devotionis testandæ cupidissimum, ut Tua Gratia, Favore & Clementia haud penitus indignum existimare velis, submisisse oro.

Meum

Meum interea erit, Benignissimum nostrum
in coelis Patrem ardentissimis venerari precibus,
ut *Te, Celsissime Comes!* ubique locorum sospitem
æque ac felicem præstet, atque omnibus
ad bene beateque regnandum virtutibus, coe-
litus exornatum, *Tuis* mox terris reddat: quo
sub longo Optimi Comitum Regimine nobis om-
nibus perpetuo felices esse contingat, Vivas,
floreas, vigeas, o Spes & Præsidium Patriæ, &
Decus Domus Lippiacæ! Ita vovet

Celsissime Comes!

Domine Clementissime!

Tuæ Celsitudinis


Tallæ Lippiacorum

d. i. Mensis Februarii
A. Æræ Nov. MD CC XL VII.

Humillimus & fidelissimus
Servus

Christoph. Philip. Erp-Brockhausen
Verbi divini Minister.

SPE-



SPECIMEN
EXEGESEOS SACRAE

In
Psalmum Quinquagesimum.

§. I.

Nunquam minus otiosus quam cum otiosus : pulchre a non nemine dictum esse memini : idem etiam a vitæ meæ instituto hac tempestate haud penitus abhorret. Quando enim a labore publico, quem ex munere sacro perferre debeo, otium aliquod habeo, ad illa mox negotia recurrere soleo, quibus me inde a juvene consecravi : Philologica puta atque exegetica. Adeoque in ipsis ortis negotiosus esse volo. Atque ita decere hominem cujus alte infixum hæret pectori gravissimum illud Servatoris : *πραγματευσαδε εως ερχομαι*, cum maxime arbitror. Eo vero omnia mea otia pariter ac negotia dirigere soleo, ut Eloquia Dei Vivi in dies magis magisque intelligere discam. Pulchrum

B fane

sane studium! nec otiose tamen tractandum. Incipiendum quidem in hac vita; consummandum autem in altera, ubi non amplius *δι εσοπτεα εν αινυματι* *αλλα προσωπον προς προσωπον* intuebimur.

§. 2.

Consecravi autem jam ab aliquo tempore negotiosa mea otia (liceat ita loqui) Psalmo quinquagesimo, illumque brevi aliqua commentatione illustrare in animo habui. Hisce potissimum rationibus inductus:

- I. Quia Psalmus hic tam pondere verborum quam copia rerum inter alios insignis est. Atque etiam
- II. varia continet, quæ uberiori aliqua explicatione magnopere indigere videntur. Tandem quoque
- III. illustre vaticinium de tempore Novi T. complectitur, de quo tamen pro rei momento parum aut nihil certi psalmoreum Interpretes, si celeb. Tillium excipias, adhuc dixere.

Operæ igitur pretium videbatur futurum, si diligentius in hæc omnia inquirerem, illaque si pote in clariore luce collocarem. Compertum equidem habeo psalmum hunc nostrum non ita pridem studio singulari a *Viris Clarissimis Rambachio atque Ottio* illustratum esse, quorum alter in *Verbis Selectis Christi* libro vernaculo: alter vero *XIII. Concionibus* itidem *vernacule* editis ejus explicationem dedit. Et fuere fortasse etiam alii Viri docti qui idem tentarunt. Propterea tamen a proposito me nullo modo dimoveri passus sum: sed existimavi potius fore ut auxiliante Deo præstantissimorum virorum laboribus ac meditationibus adjutus, si non omnem qua indiget lucem, aliquam saltem pro ingenii mei modulo ad illustrandum hunc psalmum adferrem. Cum vero in eo jam essent,

ut

in Psalmum quinquagesimum.

ut meas qualescunque meditationes ad prælum pararem, tempestive sane incidit illud: *Festina lente*. Noli itaque temere, nec debui etiam ob rationes fat graves, orbem eruditum novo libelli pondere prægravare, qui vel sic, ut pulchre alicubi *Witius*, sub mole librorum jam fere ingemiscit. Quare animum parumper mutans mecum constitui, priusquam integram psalmi explicationem in publicum emitterem, brevi aliquo specimine *Viris eruditis*, quorum iudicia magni semper facio, quasi præmonstrare, quo modo, qua via, quave ratione, illustrem hanc oden illustrare me posse considerem. Quidve de illa post præstantissimos *Cocceji*, *Tillii* aliorumque labores dicendum amplius haberem. Atque hinc natum est hoc qualescunque scriptum. In quo novam hypothesein ad illustrationem hujus psalmi libere & breviter expono: non novitatis studio; sed amore veritatis. Confido itaque exiguum huncce laborem haud penitus ingratum fore iis qui vetera diligunt, & nova etiam non prorsus aspernantur: dum modo faciant ad illustrationem verbi Dei & cognitionem veritatis.

§. 3.

Antequam vero ad ipsam hypotheseos expositionem me conferam, e re mea esse videtur de Hypothesibus Exegeticis in genere quædam præmonere. Non omnia huc conveham quæ a viris in studio exegetico excellentissimis passim dicta sunt; sed pauca tantum delibabo. Legi interea hanc in rem meretur *Cl. Wollii Dissertatio de Conjecturis Exegeticis*, præmissa *Tom. I. Opp. Schukfordi Versioni German. de Harmonia Scriptorum Sacrorum cum Profanis*. Magnum esse Hypothesium usum in explicatione sacro-

rum scriptorum abunde norunt veræ exegeteos confici: intelligunt iidem, sine iis 'difficilem sapiuscule aditum ad prophetarum arcana dari. Breviter, sed solide ut solet, docet hoc *Chr. Vitringa in Prefat. ad Avang. Apocalypt.* Idem illud Vir Magnus per totum opus suo exemplo abunde comprobavit: uti etiam in excellentissimo in *Jesaiam Commentario.* Cum quo consentit *Cl. Rambach.* nostrum illum presso pede secutus in *Hermeneut. Sacr.* p. 781. & sqq. Nequeo mihi temperare quo minus verba *Vitringæ* in rem meam huc transcribam. Ita vero ille l. cit., *Hypotheses vere sunt scripturarum divinarum claves, & hoc nomine ab ipso Domino insignantur: quas si veras & proprias ad eas interpretandas admoveris; facilis est introitus & reclusa mox patent penetralia; si erroneas & adulterinas, excluderis hoc adyto & nulla ingenii arte a poenitendis tibi caveas erroribus; tanto quidem gravioribus, quanto ponderis est majoris scripturae illius sacrae, quod te exercet argumentum.* Ita est: res pro se loquitur, nec ulla ulteriore probatione indiget. In eo solum cardo rei versatur, ut quis ad explicationem *Sacr. Script.* hypotheses veras & proprias eligat, ut probe monet *Vitringa* l. c.

§. 4.

Ad hypotheses autem exegeticas veras & proprias hæc tria potissimum requiri videntur. 1) Ut res cui hypothesis superstruitur in thesi vera sit & perspicua. 2) Ut veritas ipsius hypotheseos rite probeatur. 3) Ut hypothesis faciat ad illustrandum verbum Dei. Primum per se requiritur. Nisi enim res in thesi vera sit, hypothesis ipsa sua sponte corruet. Ritus antiquos & novas verborum significationes ex ingenio confingere, atque ex illis *Sacr. Script.* illustrare

in Psalmum quinquagesimum.

strare, haud decet ingenium interpretem. Quin imo: non vera tantum sed & perspicua esse debet res in thesi proposita; alioquin non faciet ad illustrationem S. Script. Frustra sane ad explicationem Verbi D. adferuntur significationes vocum vel phrasium obscuriores, vix semel, aut bis terve tantum obviae; vel antiquorum ritus etiam, de quibus parum aut nihil certi constat. Quomodo enim obscurum per æque obscurum explicabitur? Secundum æque requiritur. Nam ubi veritas ipsius hypotheseos non probatur, explicatio ipsa probari non debet. Probatur autem veritas hypotheseos, quemadmodum constat, ex variis principiis; ex scopo scriptoris, ex nexu scripti, ex sensu verborum & potestate, ex characteribus in descriptione rerum aut personarum ubi non expresse nominantur, obviis: & si quæ sunt aliæ bonæ exegeos regulæ. Præterea in prophetiis explicandis magnum pondus accedit veritati hypotheseos ex demonstratione implementi, licet & hæc per se rem minime conficiat, si cætera in salvo non sint. Conf. Clr. *Vitringa* l. sapius cit. Quemadmodum enim in omni interpretationum genere, ita hic cum maxime quoque attendendum ad scopum, nexum, sensum & potestatem verborum: ne nostrum sensum, nostramve præconceptam opinionem verbis scriptoris inferamus. Qui secus instituit τη ὑποθεσει δελευειν merito censetur. Minime vero negligendum est tertium. Nam etiamsi reliqua omnia recte se habeant, nec tamen hypothesis faciat ad illustrandum S. Script. inepta est & vana, frustra que excogitata. Γλαυκὴ εἰς Ἀθηναίς: ut est in proverbio, qui cum hoc illove S. Scriptur. loco vel per se satis claro, varios gentium ritus, aut multas verborum significationes,

1
1
15
17
19 22
20 26
215
22
23
24



vel denique poetarum longas sententias, multo labore conquistata spolia, confert. Quare haud raro accidit, ut verbum Dei magis obscuretur quam illustretur. Conf. *Clr. Moshemii Cogitationes de eo quod iustum est circa Sacra Litterarum ex graecis & latinis scriptoribus interpretat.* in Obs. ejus Sacra. L. I.

S. 5.

Hæc vero licet certissima sint, nihilominus tamen has contra leges multis modis peccatur. Meum non est latius hac de re differere: nec aliena curo eaque quæ nihil ad me attinent. Hoc vero pro virili dabo operam ne idem & mihi accidat. Quem in finem primum hypothesin ipsam paucis exponam. Secundo eandem ad leges supra positas curate exigam. Atque 1) ubi opus erit probabo, hypothesin in thesi esse veram æque ac perspicuam. 2) Demonstrare conabor esse eandem verissimam. 3) Evidentum dabo ipsam illam hypothesin apprimè quoque facere ad psalmi nostri illustrationem. Quo facto, eruditis dijudicandum relinquam, utrum hypothesin veram & propriam elegerim, nec ne? Intra hos terminos se continebit præsens disquisitio: quoniam specimen tantum do uberius explicationis Deo volente præludium. Quamobrem de Autore, occasione, scopo, nexu psalmi & cæteris nihil ex instituto dicturus, nisi occasione ita ferente. Si vero minus recte rationes subduxero: lubens fatebor errorem candide monitus, siquidem juxta Hebræos כפירת החטא שתי עונות *negare errorem est bis peccare.* Neque vero quisquam humanæ fortis conscius mihi propterea dicam scribet, aut meos qualescunque conatus ad illustrationem verbi Dei vergentes sinistre, ut spero, interpretabitur. En igitur ipsam hypothesin: *Continet psalmus noster*

noster vaticinium de Tempore Novi Testamenti, introducuntur in eo duæ personæ loquentes. In prima parte a vs. 1-7. insignis quidam Præco regius comparet, Elia spiritu plenus, ipsius Dei adventum mox secuturum tanquam Regis & Judicis totius terræ magnificis verbis proclamans: qui est JOHANNES BAPTISTA. Hunc e vestigio sequitur ipse Rex gloriæ, Judex totius terræ, SERVATOR NOSTER JESUS CHRISTUS. Cujus sermo in secunda parte a vs. 7. fin. proponitur.

§. 6.

Constat hæc hypothesis ex tribus membris, ut cuilibet manifestum. De singulis ordine & quantum fieri poterit breviter agam. Primum, quod probandum mihi incumbit, est psalmum nostrum agere de tempore Novi Testamenti. Supervacaneum foret in thesi probare esse psalmos qui de tempore Novi Testamenti agunt; id enim quantum scio a nemine Christianorum in dubium vocatur. Dubitatur tamen, utrum psalmus hic noster ex eorum numero sit? Neminem equidem novi, qui ex instituto id egisset, ut negativam probaret sententiam. Sunt potius multi iique magni nominis viri, qui aperte fatentur psalmum hunc vaticinium continere de tempore Novi Testamenti. Ceu ex *Poli Synops. Crit.* ad h. ps. abunde constat. Probavit id solide. *Chr. van Till in Introduct. in h. ps.* Cujus argumenta non exscribam, sed breviter tantum recenserebo: additis etiam aliis quibusdam rationibus.

- I. In genere ex argumento psalmi patet, illum agere de tempore N. T. Rejicitur enim hic cultus cærimonialis & umbratilis totus, ejusque loco
nova

nova Deum colendi ratio docetur per sacrificia laudis & celebrationis Nominis Dei, qualis Novo Testamento convenit. Quod & Syrus agnovit *Interpres* sequentem in modum de argumento psalmi differens: (verba ejus latine reddo) *Dicitur* (hic psalmus) *esse Assaphi propheta de Sacrificiis legalibus Testamenti Mosis, deque abrogatione eorum &c.* Probari id

II. Per partes potest ex toto psalmo. Agitur enim hic

- 1) De tali tempore in quo Deus vocare vult terram ab ortu solis usque ad occasum vs. 1.
- 2) In quo perfectissimam pulchritudinem, pulcherrimum Evangelii sonitum ex Zione fulguris instar vibrare fecit. vs. 2.
- 3) In quo Deus ipse modo singulari & plane tremendo in populo Judaico ad iudicium comparuit, pios sibi subditos, legitimum Abrahami semen publice colligens, illosque blande admonens Deum non amplius sacrificiis & id genus aliis externis caerimoniis coli velle, sed tantum in spiritu & veritate a vs. 3-16. Impiis vero & foedifragis gravissima peccata & nefanda scelera exprobrans, illisque ni repente & serio resipiscant, poenas demeritas ultimumque interitum severe denuncians a vs. 16-23.
- 4) In quo nemini daretur pervenire ad maximam illam salutem Dei eaque frui, nisi qui missis sacrificiis cruentis & belluinis, sacrificia solum laudis offerret, atque se ipsum, ut Pauli verbis utar, sifteret Deo hostiam vivam & sanctam. v. 23. Quæ omnia cum temporibus Novi

Novi Testamenti tantum vere conveniant, nullum quoque dubium esse poterit, quin de eo ipso tempore in hoc psalmo agatur. Quod

III. Uterius confirmari posset per exactissimam rerum temporibus N. T. gestarum cum verbis psalmi nostri convenientiam. Quod jam diu ante nos vidit, & eleganter ut solet proposuit M. Antonius Flaminus in libro parum obvio atque hac indice: *Brevis Explanatio in librum Psalmorum* edito Lugduni a. 1553. in forma quam *12m* vocant. Qui de argumento hujus psalmi in sua explanatione ita disserit: *Prædicat ritus & ceremonias a Mose institutas repudiandas esse & excellentiorem colendi Dei rationem introductum iri.* Et dein ad verba vs. 1. Loquitur & vocabit terram, post alia ita commentatur: *Vel ait Deum a solis ortu usque ad occasum terram advocaturum, propterea quod Christus ad omnes terrarum oras Apostolos suos misit, qui filios Dei dispersos & dissipatos in unum locum congregarent.* Vide præcipue ejus verba infra citanda §. 12. in fin. Verum enim vero quoniam hujus loci non est omnia exsequi, uberiori psalmi explicationi hæc reservanda erunt: ubi Deo volente fuse ostendam, omnia illa quæ hic prædicta sunt, revera quoque temporibus N. T. facta esse, certissimo indicio psalmum hunc de N. Oecon. tempore agere. Illa enim demonstratio in verbo prophetico perfecta haberi debet, quæ (si cætera in salvo sint) vaticiniorum veritatem & eventum per implementa demonstrat.

IV. Denique ipsi Judæi hac in parte nobiscum sentiunt, atque in nostro psalmo divinum poetam

C

Seculi

Seculi Futuri fata canere testantur. Aperte R. S. *Ifacides* vulgo Raschi dictus ad vs. 2. de Redem-
 tione futura agi, pronuntiat. Idem *Chaldeo In-*
terpreti in mente fuisse ex glossa ejus ad vs. 10.
 & 11. hariolor; ubi ingentis formæ bovem, mil-
 le montes quotidie depascentem, monstrum
 pingue, atque avem haud paulo minorem, sociis
 suis & ejusdem fidei consortibus lætus monstrat;
 subindicans has delicias ad convivium in horto
 Edenis aliquando parandum servari. Quæ si so-
 brie intelligantur, juxta stylum Judæorum allego-
 rico hyperbolicum, exhibent descriptionem *De-*
liciarum Seculi Futuri. Qua de re tamen cum
 nemine litigabo. Natum interea hoc ænigma
 videtur ex variis locis propheticis, ubi bona N.
 T. sub emblemate convivii proponuntur, quæ
 ab antiquioribus Judæis pro genio orientis, verbis
 allegoricis emblematicis & non nihil hyperbolicis
 exposita sunt. Enim vero non proprie & juxta
 literam, sed ænigmatice hæc taliaque intelligenda
 esse apud illos saltem Judæos, quibus sanum est
 ficiput, in confesso est; Conf. hac de re liber
Caphtor Vaperach, licet a vulgo Judæorum pro
 ingenio ipsorum stupido & plane asinino, quod
 recte illis tribuas ex propria ipsorum confessione
 quæ legitur in *Schabb.* fol. 112. f. 2. nunc passim
 proprie accipiantur. Sed hæc in transitu, Quæ
 vero de consensu Judæorum modo memini, non
 ideo adduxi quasi illorum judicium hac in causa
 permagni facerem; novi enim nostro tempore
 Judæos hæc talia parum aut nihil curare. Sed
 propterea tantum hoc feci, ne Christiani Inter-
 pre-

pretes se nimium difficiles hic præbeant, sintque
ipsis sordidis Judæis illiberaliores.

§. 7.

Ex his satis patere arbitror psalmum nostrum
continere vaticinium de N. T. temporibus. Pergen-
dum itaque ad alterum hypotheseos membrum, atque
probandum duplicem personam in hoc psalmo lo-
quentem introduci. Esse in divino psalms libro
cantica in quibus diversæ personæ loquuntur, imo
amœbæa etiam, uti vocantur, carmina, nemini non
notum. Probavit id passim non sine insigni usu Do-
ctissimus psalms Interpret Clr. Tillius. Licet au-
tem Vir doctus in quibusdam ingenio nimium indul-
sisse videatur eruditus, ut fieri in talibus facile affolet;
negari tamen non debet, ipsam illam hypothefin in
plurimis egregie procedere, atque ex ea lucem haud
contemnendam varios psalms foenerari. Quemad-
modum autem in genere verissimum est, in multis
psalms diversas personas loqui: ita quoque omnes
haud difficulter mihi concedent, in nostro psalmo
idem obtinere, duplicemque in eo personam loquen-
tem fisti. Omnes quoque psalms Interpretes,
quos videre mihi contigit, illud uno ore fatentur.
Neque probare hoc magnopere necesse: nam ex ipso
psalmo טהר טיהרא דיומא luce meridiana clarius est.
Magis vero in rem meam erit disquirere, utrum in
prima parte a vs. 1-7. psaltes ipse? an vero persona
ab ipso diversa verba fundat? Nam in altera parte
a vs. 7- fin. Deum ipsum loqui indubium est. Ad
hanc quod attinet quæstionem fatendum plerosque
Interpretes, & si Clr. Tillium excipias, fere omnes
quantum scio, in ea esse sententia, in prima psalms

G 2 parte

1
1
15
17
19 27
20 26
215
22
23
24

parte ipsum psaltem loqui. Interpretem Judæum *Aben Esram* hic non moror, qui ad verba vs. 3. scribit, sunt hæc verba justorum expectantium ut perdantur improbi. Verum enim vero *Doctissimus psalorum Interpres* sæpius jam laudatus, pro sua in explicandis S. literis sagacitate ulterius progressus est & amplius quid vidit, atque non tantum personam a psalte diversam hic loquentem agnoscit, sed & discrete illam *Nuncium* een Boden vocat. Ita enim ille; *Nuncius præmittitur &c.* den Bode werd voor af gevonden. Et mox *Nuncius* (de Bode) *vertit orationem ad omnes & singulos.* Vid. Eiusd. *Introduct.* in h. Pl. §. 6. in fin. Atque hæc *Viri Clr.* sententia mihi unice aridet. Et si modo loco *Nuncii* den Boden nominasset *Præcursorem* den Vorlooper idem dixisset quod ego volo. Ita enim statuo, in prima psalmi parte a vs. 1-7. loquentem introduci certum quendam *Præcursorem* vel *Præconem* Regium. Idque ob sequentes rationes.

- I. Quia prædicata in psalmo obvia nobis demonstrant insignem aliquem *Præconem* regium, qui præsentissimum Regis sui adventum publice proclamat.
- II. Nexus psalmi & cohærentia scenæ propheticæ, quæ sine ratione turbanda non sunt, exigunt, ut in prima psalmi parte talis statuatur persona loquens, quæ quam proxime illam præcesserit, quæ in altera parte verba facit. Præcipue
- III. Quoniam illud ipsum ad *Præconis* officium pertinet ut quam proxime Regem adventantem præcedat.

Quæ omnia cum multo aptius alteri cuidam personæ
con-

convenient, quam ipsi psalmi Autori; sive is Aphas sit, sive alius quivis, de quo in presentia non disputo; manifestum quoque est in prima psalmi parte agnoscendum esse personam loqui, ab ipso psalmi Autore diversam. Quæ, qualisve illa sit, adhuc nemo, quantum mihi constat, diserte indicavit. Dixit quidem aliquid hanc in rem Cl. Tossanus in glossa ad v. l. h. Ps. cujus verba, quæ præterire nefas, latine huc transferam. *Nonnulli hoc intelligunt de prædicatione Evangelii quæ totum orbem pervasit, cujus etiam Johannes Baptista, qui hypocritas graviter reprehendit, initium fecit.* Faculam præluxisse videri poterat Vir doctus: nec invidebo ipsi hanc gloriam, si ita videbitur: attamen verba ejus incerta ac dubia sunt, si rite perpendantur, nec, quid sibi proprie voluerit, Johannem Baptistam nominans, dictum est facile. Igitur instituti mei ratio jam postulat, ut diligentius in hanc personam inquiram, illamque si pote in scenam producam, quo spectetur luculentius. Quod si enim ex monumentis historicis demonstrare potero, personam olim in mundo vixisse, cui omnia prædicata in psalmo obvia convenient, quivis facile concedet, eam ipsam esse quæ in prima psalmi parte profatur, atque præconis officio defungitur.

§. 8.

Sponte itaque delabimur ad tertium hypotheseos membrum. De quo dixi in prima parte hujus psalmi loquentem introduci *Johannem Baptistam*, illustrem illum præconem regis Messia, J. C. in altera autem ipsum *regem Messiam Servatorem nostrum J. C.* verba facere. Utrumque quanta potero diligentia probare annitar: in eo enim cardo rei versatur. Memor autem legum supra a me propositarum, rem primum

1
1
15
17
19 27
20 26
215
22
23
24

in thesi paucis illustrabo. Observandum itaque jam ab antiquissimis temporibus receptam fuisse in gente Judæa opinionem, venturum Messiam præcessurum aliquem Præcursores vel Præconem, illumque nominatim fore Eliam; ceu patet ex variis N. T. locis, sit instar omnium Matth. XVII. 10. Plena quoque sunt scripta Judæorum testimoniis, quibus idem probari potest. Otio abundet necesse est, qui non omnia, sed pleraque tantum conquirere velit, neque necesse: cum præcipua jam a Viris in his literis exercitatissimis adducta sint. Conf. Autores quos magno numero citat *Chr. Lampius in Job. C. 1. vs. 21. in Nott.* Interea tamen vel duo vel tria heic recensere non abs re erit futurum. Sic *Maimon. in Hilch. Melach. Cap. ult. P. IV. Jad. Chafaka* יש מן החכמים שאמרים i. e. *sunt ex sapientibus qui dicunt ante adventum Regis Mesia venturum Eliam.* Confer sententiam *Aben Esra*, quam adduxit *Abarbanel* in *Malach. f. 301. Col. 2. in fin.* Memorabilis cum primis locus est qui legitur in *Falkuth Schimoni P. II. fol. 53. col. 3. in Jesaiam.* Quem ex *Eisenmengeri Jud. Detect.* adduxit *Chr. Lampius* l. c. p. 410. in *Nott.* Ex quo nonnulla describam. Ita vero habet. *Illo tempore quo Deus sanctus benedictus Israelem redimet, Elias veniet triduo ante adventum Mesia &c.* Et paulo post: *Die tertio iterum venit & stat (Elias) in montibus Israelis & dicit salus venit in mundum! salus venit in mundum. Sicut scriptum est: annuntiabit salutem. Et quando videt impios, quod hoc sibi applicant, tum dicet Zioni Deus tuus Rex est, ut doceat salutem esse pro Zione & liberis ejus, non vero pro impiis.* Conf. quoque *Pesikta Rabbeta fol. 62. col. 1. & quæ ex Glossa in Gemar., Babyl. Erubim* collegit *Lighthfoot*, ad *Matth. C. XVII.*

XVII. 10. p. m 386. N. 1. Atque hinc Tryphon:
 Παντες ἡμεις τον χριστον ανθρωπον προσδοκωμεν γενησεσθαι, και
 τον Ηλιαν χρισται αυτον ελθοντα i. e. *Nos omnes Messiam
 hominem ex hominibus nasciturum prestolamur, & qui
 illum inungat venturum Eliam*: Ceu apud sapius
 jam citatum *Lampium* legere est. Hæc vero Judæo-
 rum opinio de Messia prodromo, quæ jam olim ut
 videtur altas in multorum animis radices egerat,
 insigniter demum confirmata atque stabilita per
 clarissimum *Malachia* vaticinium C. III. vs. 23.
 Ecce mittam vobis
 Eliam Prophetam. Conf. vs. 1. ejusd. Cap. Utut enim
 valde hic hæreat celebris ille inter Judæos commen-
 tator *Abarbanel*, homo astutus & callidus, qui totum
 suum in S. Scripturam Commentarium eo compo-
 sisse videtur, ut illustriora de Messia testimonia per-
 vertat: alii tamen Judæorum paulo candidiores fa-
 tentur Præcursores Regis Messia hoc *Malachia* ora-
 culo designari. Atque hæc hæctenus quidem bene.
 At magnopere tamen in eo errarunt Judæi fere
 omnes, quod hæc secundum literam de *Elia Thisbita*
 acceperunt: immemores styli prophetici, quibus
 familiaris mos est personis, quorum fata, mores &
 actiones plerumque fuere eadem, idem quoque no-
 men dare. Hinc Messias toties in prophetarum scri-
 ptis vocatur *David*. Quod & ipsi Judæi concedunt
 in *Medrasch super Proverbia* fol. 71. col. 3. Ubi Rabbi
Hunna dicit: octo nominibus vocabitur Messias: *Innon*,
Schilo, *David*, *Elias*, *Menachem*, *Jehova* justitia nostra
Zemach. Unde vero illud hauserit Judæus Messiam
 vocandum *Eliam* parum certe scio; nec magnopere
 anquiro. Aliquam tamen lucem harum rerum cu-
 riosis

riosis dabit *R. Tanchum* citatus *Clr. Pocockio* in Nott. Miscell. ad Port. Mos. p. m. 199. qui per Eliam a Malachia Proph. promissum Messiam ben Joseph forsitan intelligendum hariolatur. Sed hæc in transitu. Atque illa ipsa loquendi consuetudo, qua nomina virorum quorundam propria, interdum adhibentur de personis, iis quibus nomina hæc proprie competunt, ad modum similibus, non solum in Sacr. Script. verum etiam in ipso Judæorum Talmude obtinet. Vid. loca citt. a *Clr. Surenhusio* in Βιβλ. Κατάλλ. Thes. V. de Modis expl. Geneal. p. 94. & a *Clr. Lighthfooto* in Hor. Hebr. in Johann. p. m. 719. Imo vero, quod mireris, Judæorum nonnulli paulo qui sunt sapientiores, simile quid de Elia a Deo per Prophet. Malach. promisso suspicantur. Nominari scilicet Eliam, designari vero virum quendam Eliæ per quam simillimum. Vid. verba *R. Tanchum* apud *Clr. Pocockium* l. supr. cit. & *Gemar. Kiddusch.* fol. 70. col. r. juxta *Surenhusium* l. c. Atque hinc fortasse *Abarbanel* ex quorundam sententia oraculum Malachiæ de Elia, cum illo Ezechiëlis de Davide C. XXXIV. 24. confert. Subindicans haud dubie quemadmodum hic non agitur de Davide rege; ita nec illic de Elia Thisbita. Vid. *ejus Comment.* in Prophetas Posterr. fol. 301. fac. 2. col. 1. Eundem tamen errorem sua quoque versione stabiliverunt *Alexandrini Interpp.* qui citat. l. satis fidenter contra scopum & mentem prophetæ, pro opinione vulgi, nominarunt Eliam Thisbitam. Quod plane intolerabile. Idem etiam a Judæis tam certo in hunc usque diem creditur, utemori citius velint, quam vanam illam de venturo Elia spem abjicere. Atque hinc quando de Adventu Messia nobiscum disputant, haud raro objicere solent illud *Maimoni-*

moni-

monidis חנמים אמרים יבוא אליהו קדם שיבוא המלך משיח
 Eodem modo uti discipuli Christi ex pervulgata opi-
 nione Οι γραμματεως λεγουσι, οτι Ελιαν δει ελθειν προτου
 Matth. XVII. 10. Sane locutionem magis fimilem ma-
 gisque eandem vidi nunquam. Nemini quoque non
 notum ob male intellectum locum Malachiaē nonnullos
 ex primæ Ecclesiæ Patribus in simili fere errore hæ-
 sisse, putantes ante ultimum iudicium Eliam rever-
 surum in terram, idque præcipue ad convertendos
 Judæos. Unde *Augustinus* de Civit. Dei L. XX.
 C. 29. *Elias ante adventum iudicis non immerito spera-
 tur esse venturus.* Conf. testimonia hanc in rem alla-
 ta a *Chr. Lampio* l. c. & *Doctiss. Grelloto* in Prodrum.
 Apoclypt. C. VII. p. 91. & seq. Sunt tamen viri do-
 cti, iique magni nominis Theologi, qui de novo
 spiritualis cujusdam Eliaē adventu in fine Novi Test.
 etiamnum cogitant. Quorum cogitata ego quidem
 in medio relinquo: neque libenter de futuris iudico
 quorum scientiam Deus sibi solus reservavit.

§. 9.

Ex his puto perspicuum est, jam a longo tempo-
 re apud Judæos in confesso fuisse fore, ut quando
 Messias Rex in mundum veniat, illustri quidam.
 Præco aut Prodrumus illum antecedit. Neque pu-
 tandum hanc sententiam heri aut hodie demum in
 gente Judæa esse natam: sed perantiqua sane fuit.
 Et si conjecturæ locus dabitur, dicam eam jam ipso
 prophetarum ævo per plurimorum animos pervasif-
 se, ex oraculo *Isaiaë* C. XL. quod deinceps illustra-
 tum atque confirmatum ulterius est per *Malachiam*
 prophetam. Atque hunc ipsum Præconem vocandum
 esse Eliam hæctenus tuto credi potest. Verum cum
 non solum ex testimonio Angeli Luc. I. 17. sed & ex

D

ver-

1
1
15
17
19 27
20 26
215
22
23
24

verbis ipsius fervatoris nostri Matth. XI. 14. XVII. 12. 13. constet, ipsum illum etiam esse *Johannem Baptistam*, nos Christiani, missis Judæorum de Elia Thisbita nugis, illud pro certo tenemus. Hic namque Johannes Baptista fuit Præco & Præcursor Christi, adventum ejus prænuncians. Matth. III. 1. & II. XI. 10. Marc. I. 7. Luc. III. 16. Joh. I. 26. 27. Is præcessit ante Christum in Spiritu & virtute Eliæ Luc. I. 17. Adeoque per Malachiam prophetam ex consueto prophetarum more rite vocatus Elias; sive ob insignem convenientiam quæ inter ipsum & Eliam Thisbitam erat futura: sive quod magis crederem, quia Elias Thisbita hujus nostri Typus fuit illumque præfiguravit. Conf. *Clr. Lampium* Virum vere Theologum in libro vernaculo *de Foed. Grat.* Lib. III. C. 3. p. 28. & autores quos ipse citat ad Joh. C. I. p. 4II. in Not. Hunc vero Johannem Baptistam tanquam Præconem & Præcursorem Regis Messiaë in S. Scriptura loquentem introduci ex loco notissimo Jes. XL. 3. seqq. col. Matth. III. 3. satis constat, neque a quoquam ut spero temere in dubium vocabitur. Cum itaque Johannes Baptista tam insignem in mundo personam gesserit, ut non solum Præco & Præcursor Regis Messiaë fuerit, sed & prophetæ ipsius adventum prædixerint, quin imo apud Jesaiam in scena prophetica loquens sistatur, haud difficulter mihi quivis concedet fieri etiam posse, ut idem ille Johannes Baptista in alio aliquo Sac. Scriptur. loco introducatur loquens, atque ipsam hanc hypothefin nihil absurdi neque alienum a Spiritu S. instituto in se continere.

§. 10.

His itaque præmissis probandum mihi nunc incumbit, in nostro psalmo idem obtinere atque in prima

ma

ma ejus parte a vs. 1-7. Insignem illum Præconem & Præcursorem Regis Messiae *Johannem Baptistam* verba facere. Quod jam demonstrare aggredior. Vel si hoc nimium videtur; Geometris enim & Mathematicis demonstrationes sunt privæ; theologorum filiis quibus cum triangulo & circulo nihil negotii est, tantum est probare. Probabo igitur illud ex rationibus sequentibus.

I. Argumentum desumo ex attributis characteristicis, ut vocantur, in ipso textu obviis. Illa nobis demonstrant illustrem, aliquem Præconem & Præcursorem Regium Regis sui adventum, (qui hic Messias est, prout mox ostendam) verbis admodum magnificis annunciantem. Uti supra jam visum §. 6. lege tantum part. I. hujus Psalmi a vs. 1-7. Qualis Præco & Præcursor Messiae omnino fuit Johannes Baptista vid. II. citt. §. præced. & futurum quoque talem Prophetæ olim prædixerant Malach. III. 1. XL. 3.

II. Argumentum peto ex analogia & convenientia verborum illius Præconis, qui in nostro psalmo loquitur, cum verbis Johannis Baptistæ, quem in finem notandum:

a) Præconem hunc nostrum describere Regem suum tanquam fortissimum, imo etiam tanquam ipsum Deum fortem. vs. 1. Idem fecit Johannes Baptista: *Ὁ δεσποσω με ερχομενος Ισχυροτερος με εσιν κ. τ. λ.* Matth. III. 11. Et apud Jesaiam eundem vocat יהוה אלהינו C. XL. 3.

b) Describit illum Regem ut mox venturum, & jamjam in populo suo præsentem & ad illum loquentem vs. 1. יהוה דבר *Deus loquitur*, & vs. 3. *veniet*. Simili plane modo Johannes Baptista de

Rege Christo loquitur. Μεσος δε ὑμῶν ἐστίν εν in medio vestrum est. Joh. I. 26. & apud Matth. C. III. II. ο δε ὀπίσω με ἐρχόμενος qui statim post me venturus est. Confer. Jes. XL. 4. כִּי־פִי הוּא דְבַר Quod os Jehovæ loquitur. Atque hinc apud Malach. פתאם יבא repente veniet C. III. 1.

c) Describit hunc Regem ut Majestate & gloria decorum vs. 2. cum quo conferri possunt verba Jes. XL. 4. וְגִלְגָּל כְּבוֹד יְהוָה & revelabitur gloria Jehovæ. Item quæ Johannes Evangelista habet C. I. vs. 14. Et fortasse non incommode quoque quæ Johannes Bapt. de Baptismate εν πνευματι ἁγίῳ memorat. De quo tamen nihil certi affirmo.

d) Describit tandem hujus Regis adventum ut terribilem admodum cum igne & turbine urente, & quidem ad judicium ut separet pios ab impiis vs. 4. 5. 6. Eodem modo loquitur Johannes Baptista Matth. III. 10. & 12. Luc. III. 9. & 17. Conferri huc quoque lubenter vellem ea quæ Johannes Bapt. de Baptismate εν πυρι dixit. De quo varia exstant eruditorum Disquisitiones. Legi tamen in hanc sententiam præ aliis meretur *Chr. Nonnenii Dissert. de Baptismo Ignis* ad Matth. III. II. in *Museo Bremensi* Vol. I. P. III. p. 468. Eundem in modum alii etiam prophetæ de his rebus vaticinati sunt. Vid. Ps. XL. 7, 8. Malach. III. 2, 3, 19, 23, 24. in fin. Quæ omnia egregie conveniunt tum cum verbis psalmi nostri, tum cum verbis Johannis Bapt.

III. Argumentum subministrat scopus verborum Præconis in Psalmo nostro loquentis. Qui alius esse vix potest quam magnifico hoc præconio de adventu Regis, tum justissimi, tum etiam clementissimi piis solatium afferre, impiis autem ter-

terrorem incutere; quo illi in studio pietatis confirmantur, hi vero moniti discant justitiam, desistant a peccato & improbitate, Regemque adventantem digne excipiant, neque in externis quibusdam fucatae pietatis officiis fiduciam ponant: Cum Rex hic non tantum sit futurus iudex æquissimus juris justitiæque tenax, sed verus insuper Deus, cordiumque scrutator. Adeoque non secundum externum adspæctum solum, verum juxta internam potissimum animi conditionem unumquemque judicaturus. Qui itidem fuit scopus totius Ministerii Johannis Baptistæ. Quem admodum historia evangelica fuisse testatur. Atque esse quoque debebat juxta Prophetarum vaticinia. Hinc illud: *Parate viam* Jes. XL. 3. Conf. Malach. III. vers. ult.

IV. Argumentum ex nexu profluit. Arctissimus enim nexus qui inter verba part. 1. hujus Ps. a vs. 1-7. & part. 2. a vs. 7 - fin. intercedit, ut de tali præcone & prænuncio cogitemus, requirit, qui adventantem Regem Messiam quam proxime præcessit. Ut supr. §. 6. jam præstruxi. At enim vero quem nexus hic non manu quasi ducit ad Johannem Baptistam? qui quam proxime adventantem Regem Messiam Servatorem N. J. C. ad munus regium in populo judaico auspicandum, præcessit. Atque ita fieri etiam debebat. *Post Angelum, quem Jehova ante Faciem suam missurum promiserat, repente venturus erat ipse Dominus ad templum suum.* Et quando Elias venerat, conversurus corda patrum ad filios & corda filiorum ad patres mox venturus erat ipse dominus ut percuteret terram anathemate. Vid. Malach. II, II,

V. Denique addi his haud temere posset, quibusdam locutionibus in concione Johannis Bapt. obviis, alludi ad verba hujus Psalms, tam primæ quam secundæ partis. Quod tamen nemo ita accipiat velim: ac si Johannes Bapt. ubique introducatur loquens, quod foret contra hypothefin. Sed tantum ex eo constare arbitror totum argumentum & scopum h. psalmi negotio & rebus Johannis Bapt. admodum convenire. De *Baptismate Ignis* jam vidimus, utpote de quo mihi facile ex hypothefi persuadeo, quod respiciatur ad vs. 3. h. Ps. Qua de re tamen in ipsa Psalms explicatione uberius Deo volente agendi dabitur occasio. Sed præterea quando Luc. III. 6. Johannes Bapt. dicit: *Et videbit omnis caro salutem Dei*, respicitur quidem aliquo modo ad Jes. XL. 5. similiter ad Jes. LII. 10. Verum hoc nil prohibet quo minus oculos quoque convertamus ad psalmum nostrum, pro sueto tum temporis S. Script. allegandi modo. De quo *Chr. Surenhusius* in Βιβλ. Κωταλλ. præcipue Thef. VII. de Modis allegandi Script. SS. p. 45. & p. 318. ubi de hoc loco nostro agit. Habemus enim hic vs. ult. h. Psalms phrasin plane eandem *וידעהם אלהים* *videre illum faciam salutem Dei*. Idque eo facilius admitti potest: si consideremus verba præcedentia *וְשִׁים דָּרַךְ* & *ponit* i. e. *facit* vel *parat viam*, cui exacte respondet illud *ετοιμασατε την οδον* a Johanne Bapt. ex vaticinio Jesaiæ inculcatum Matth. III. 3. Ita enim vertenda esse hæc psalmi nostri verba docet usus verbi *וְשִׁים* Jes. XL. 15, 18, 19. & XLIII. 19. Neque obstare hic debet accentus distinctivus major ad vocem *דָּרַךְ*: multo minus Sin verbi *שִׁים* in Schin mutandum est, uti multæ versiones faciunt, præ-

præeunte etiam Alexandrina. Sed hæc in transitu. Promittitur itaque his verbis iis, qui illam viam (quæ in præcedentibus psalmi verbis monstrata erat) parabunt, jucundus salutis Dei adspectus. Mens verborum hæc est: Omnes illos ex Judæis, qui missis externis cærimoniis cultuque legali, & abnegata etiam omni impietate & malitia cordis, ad legem Regis Messix actiones componerent, fore possessores & hæredes magnæ illius salutis per Deum trium tum temporis parandæ. De qua re prophetæ jam olim toties vaticinati erant. Atque hinc apparet quam belle hæc omnia tum inter se tum cum sermone Johannis Bapt. conveniant. Igitur his omnibus in summam collectis merito concludo in prima parte h. Psalmi Johannem Baptistam loquentem introduci. Idem etiam de verbis vs. 16. *Improbo autem dicit Deus* judicare licet, quæ mea quidem opinione tanquam verba Præconis haud inepte considerari possunt.

S. II.

Verum objici fortasse posset: agi in hoc Psalmo non de adventu Messix in carnem, sed de adventu ejus ad judicium de improbis & rebellibus Judæis per ultimum eorum excidium sumendum; Johannem vero Baptistam non hujus sed illius Præconem & Præcursorem fuisse: adeoque ex hypothese in prima hujus psalmi parte de illo non esse cogitandum. Objectio hæc fateor aliquid prima fronte difficultatis habere videtur: facile tamen solvenda ex consueto prophetarum vaticinandi modo de Adventu Messix. Prius autem quam ad illam solvendam animum applicem, pauca quædam de Adventu Messix Servatoris N. J. C. monenda habeo, quo objectio hæc eo melius

in-

intelligatur & solvatur etiam rectius : Meminerit itaque B. L. Sacram Scripturam quadruplicem potissimum Adventum Messiae Filii Dei memorare, quando modo plane singulari in mundum venit atque hominibus sese conspiciendum exhibuit, & semel adhuc venturus est in fine seculi. Primus est Adventus ejus in carnem. Secundus ad munus illud publice auspiciandum, ad quod a Patre ordinatus erat. Hunc excipit tertius Adventus ad tremendum illud supplicium de incredulis & reprobis Judæis sumendum. Denique expectatur quartus ad magnum illud & universale judicium in his terris exercendum. Notiora sunt S. Scripturæ loca quam ut huc cumulari debeant. Quæ vero his interferi possent de Adventu filii Dei ad perdendum Antichristum sponte omitto : quoniam in rem præsentem nihil faciunt. Hic vero cum maxime notasse juvat Scriptores Sacrum tum Vet. tum N. T. non ubique ita distincte agere de uno aliquo illustri Adventu Filii Dei, quin simul includatur alter vel plures etiam. Ad hunc modum de primo Adventu Filii Dei loquuntur Scriptores Sacri. & fere semper subintelligunt secundum : sæpiissime etiam tertium & nonnunquam quoque quartum. Perinde quoque mentionem faciunt secundi Adventus Filii Dei & subinnuunt tamen simul tertium. Consuetum quoque est iisdem Sacri. Script. ubi de tertio Adventu Filii Dei verba faciunt, nonnulla addere quæ in omni emphasi pertinent ad quartum & ultimum ejus adventum. Idque eam ob causam quia tertius Adventus Filii Dei, quando tremendum illud judicium in Judæos incredulos exercuit, præjudicium quasi fuit ultimi & magni illius judicii in totum terrarum orbem aliquando habendi. Quod probe tenendum ad intelligentiam vario-

variorum locorum S. Scripturæ ubi de tertio Adventu Filii Dei fermo est & tamen expresse includitur quartus & ultimus. Volo dicere: tertius Adventus Filii Dei interdum tam emphatice in S. Script. describitur ut simul lectorem admoneat de quarto & ultimo ad universale illud iudicium adventu. Non opus erit hæc omnia locis S. Script. fuscè probare, quoniam ea neminem latere possunt, qui attentamente sacra unquam perlegit scripta. Utor ego hac observatione in plurimis locis tam Vet. quam N. T. ubi de die Domini vel de Adventu Diei Domini fit mentio. Etenim si quis ad hæc non attendat, incidet profecto in varias difficultates, quibus se difficulter & vix quidem explicabit. Id quod præcipue Judæis accidisse compertum habeo: unde fere omnes locum Malachiæ C. III. vers. ult. de iudicio ultimo exponunt. Ex eodem fonte haud dubie quoque illorum profluxit opinio, qui Eliam Thisbitam ante ultimum iudicium in terram reversurum putarunt. De quo supr. §. 7. Verum hæc omnia latius nunc exsequi instituti mei non fert ratio. Ergo e diverticulo in viam. Quod igitur ad Johannem Bapt. attinet, certum omnino est illum nullibi primum Adventum Filii Dei, cum homo nasceretur, prædixisse: nec prædicere etiam poterat, quia Messias jam ante natus erat quam Johannes Bapt. ministerium suum inciperet atque Præconem Regis Messiæ publice ageret. Neque hue trahenda verba illa: *parate viam Domino*, quemadmodum a quibusdam minus caute factum est: illa enim ad secundum Adventum Filii Dei pertinent. Scilicet monentur Judæi, ut viam præparent ad Regem adventantem, qui Messias erat, digne excipendum

E

dum

dum, utpote qui jamjam venturus erat ad regnum suum spirituale, quod regnum coelorum dicitur, doctrina & miraculis publice erigendum & stabilendum. Prædixit itaque Johannes Bapt. secundum & tertium Adventum Filii Dei. De quarto & ultimo dubium est. Sane nihil disertis verbis de illo dixit, nisi quantum ea quæ de tertio Adventu agunt accommodari quoque rite possunt ad quartum & ultimum. Quando itaque objicitur Johannem Bapt. non prioris sed posterioris Adventus Filii Dei Præconem fuisse, intelligendum hoc necessario erit de secundo & tertio Adventu Filii Dei. Unde hunc in modum concipienda erit objectio: fuisse quidem Johannem Bapt. Præconem & Præcursores secundi Adventus Filii Dei ad munus publicum in gente Judæa auspicandum, non vero tertii, ad iudicium in Judæos exequendum. Verum gratis hæc dicuntur. Nodum in scirpo quærit qui talia cogitat. Nam Johannes Bapt. non solum secundi Adventus Filii Dei Præco & Præcursor fuit illumque prædixit: *Κηρυσσων. Μετανοειτε εγγικε γαρ η βασιλεια των ουρανων.* Adest Messias spirituale suum Regnum erecturus in terra, præparate igitur animos & mores emendate, si sub foelicissimo coelestis Regis imperio vivere vobis volupe est. Quibus verbis etiam implevit vaticinium Jes. XL. 3. Sed & idem præclare quoque vaticinatus est de tertio Adventu Filii Dei Matth. III. 10 & 12. Conf. Malach. III. 2, 3. Eodem pertinent verba postrema hujus Cap. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus ille & terribilis: ut convertat corda patrum ad filios & corda filiorum ad patres, ut ne veniam & percutiam terram anathemate.*
Quæ

Quæ cum ita sint, manifestum quoque esse debet in psalmo nostro tam de secundo quam de tertio Adventu Filii Dei agi, uti mox videbimus. Quid si vero heic loci tantum ageretur de tertio ejus Adventu; nonne commode includeretur secundus? ita sane videtur ex vaticinio Malachiæ l. c. *repente veniet Dominus ad templum suum.* Quibus verbis haud dubie respicitur ad secundum Filii Dei Adventum, quando tanquam Rex & Dominus ad templum suum venit, coelesti sua doctrina corruptissimum populi statum reformaturus & nihilominus etiam supponitur primus ejus Adventus. Quin imo vs. seq. statim hæc ita explicantur, ut necessario quoque cogitandum sit de tertio illo Adventu ad iudicium in Judæos. Tantum itaque abest ut hæc objectio ab hypothese me dimoverit, ut potius animum re bene perpenſa denuo confirmaverit.

§. 12.

Ræstat ut de altera psalmi parte agam & personam in ea loquentem ostendam. Paucis hanc rem expediam; quoniam apud plurimos in confesso est Messiam Regem hic sermonem habere. Diserte *Chr. Tillius* de parte secunda pronunciat: *Post hæc venit ipse Filius Dei &c.* Vid. Ejus Præfat in h. Ps. §. 6. in fin. Neque illud admodum difficile erit probatu. Loqui hic verum Deum, ex toto psalmo manifestum est. Cum vero ille loquens nihilominus a Deo se distinguat vs. 14 & 23. certam aliquam S. Sanctæ Triados personam intelligendam esse patet. Qualis autem illa sit ex attributis characteristicis in textu ob-

viis erit dignoscendum. Describitur autem illa persona

8. Tanquam iudex venturus ad iudicium. Atqui hoc Filio Dei proprium est juxta vaticinia prophetarum Ps. II. 9. LXVIII. 22. Jes. XI. 4. LXI. 2. LXIII. 1, 2. Præsertim in oeconomia N. Foed. *ubi Pater neminem iudicat, sed omne iudicium Filio dedit*, Joh. V. 22. Cum maxime etiam actus ille iudicialis, quo increduli & rebelles Judæi a Mose & Prophetis jam dudum accusati, tandem iudicati, condemnati ultimoque excitio destinati sunt, Filio Dei, qua iudici convenit. Legatur solum Matth. XXIV. a vs. 27. ad fin. præcipue attendi meretur ad vs. 31. Καὶ ἐπισυναΐξουσιν τὰς ἐκλεκτὰς αὐτὰς ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνεμῶν ἀπ' ἀκρῶν ἕρσων ἕως ἀκρῶν αὐτῶν. quocum conferri potest vs. 2, 3 & 4. h. Pf. Adde Matth. XXII. 7. &c. Huc pertinent varia loca N. Codicis in quibus de Die Domini ut proxime venturo differitur. Conf. quoque Ezech. XXXIV. 17. Jes. XI. 3, 4. Malach. III. 2, 3, 23, 24. Joel. II. 3. cum quo convenit v. 3. h. Pf.

9. Audimus hic loquentem Angelum illum Foederis Testemque veracem, ad quem pertinet in Foedere Gratia verba facere, illud explicare, leges ejus promulgare atque condiciones ab utraque parte proponere: testari denique tum pro foederatis fidelibus tum contra foedifragos infideles. vs. 7. & seqq. Quod Filio Dei competit Vid. Apoc. I. 5. III. 14. sqq. Hebr. I. 2. Joh. VI. 1. VII. 7. Conf. Malach. III. 1, 3, 5, 6. Jes. LV. 4. LXI. 2.

3. Videmus hic ^{רוי גוֹלֵם} Goëlem illum Liberatorem & Redemptorem populi sui vs. 15. qui profecto est Filius Dei Servator N. J. C. Luc. 1. 74. Tit. 11. 11. Hebr. 11. 15. Conf. Gen. XLVIII. 16. Job. XIX. 25. Jes. XLIX. 7. 26. LIV. 5. LIX. 20. &c. Si plura vis, lege *Chr. Cramerii* Theolog. - Israelis P. 1. L. 11. C. 1. & seqq.

7. Denique invenimus hic Ducem & Principem salutis nostræ, qui populum suum in salutem Dei introducit v. 23. Quod iterum Filii Dei Servatoris nostri negotium est a Patre ipsi commissum. Atque hinc audit *Dux salutis* Hebr. 11. 10. *Deus salutis* Pf. XXIV. 5. XXVII. 9. LXII. 8. Jes. XII. 2. & *Petra salutis* Deuter. XXXII. 16. Utpote qui non tantum salutem populo suo maximo labore paravit, sed eandem etiam potenter applicat Joh. X. & Pf. XXIII. Dum haud secus ac quondam Josua liberatum ex durissima servitute populum in spiritualem coelestis Canaanis quietem introducit Hebr. 11.

Ex quibus omnibus merito colligitur secundam Deitatis personam, Filium nempe Dei Regem illum Messiam, qui est Servator noster J. C. in altera psalmi parte loqui a vs. 7. ad fin. usque. Alloquitur autem

A. Pios suos, quos blande compellat admonendo ut missis cærimoniis externis cultuque umbratili, Deum in spiritu & veritate colere discant: neque enim amplius taurorum aut hircorum sanguine vel victimis etiam sine numero oblati Deum ullo

E 3 modo

1
1
15
17
19 22
20 26
21
22
23
24

modo delectari aperte docet, *vf. 9. & sqq.* Hinc jubet ut *Sacrificia Laudis* illi potissimum offerant *vf. 14. fructus nempe labiorum nomen ejus confitentium* Hebr. *XIII. 15.* Conf. *Hof. XIV. 3. atque se ipsos Deo sistant hostias vivas sanctas & gratas* Rom. *XII. 1.* lege *sis a vf. 7-16.*

B. Convertit se ad improbos & rebelles subditos, quos severe reprehendit ob gravissima peccata & notissima etiam crimina, illisque ni repente & serio resipiscant ultimum minatur interitum, a *vf. 16-23. excl.*

C. Tandem concludit orationem adhortatione gravi, qua doctrinam illam de recta Deum colendi ratione in præcedentibus traditam egregie commendat, tanquam unicum medium perveniendi ad Salutem Dei, *vf. 23.*

§. 13.

Agitur itaque in altera psalmi hujus parte de iis potissimum rebus quæ ad secundum Adventum Filii Dei, Regis Messiaë, spectant, quæque hic noster Servator tum egit tum locutus est, postquam muneri sibi a Patre in æterno pacis consilio commisso ad Jordanis fluvium quam sollemnissime inauguratus est, atque publice inter Judæos docere incepit, regnumque illud spirituale, quod moliebatur, erigere. Etsi vero Præco ille qui ex mea sententia Johannes Baptista est, versu tertio hujus psalmi de tertio Adventu Filii Dei loqui præcipue videatur; hoc tamen hypothese meæ nihil obstat.

I. Quia

- I. Quia vel sic commode secundus Adventus hoc loco includitur; vel ad minimum præsupponitur; Idque eo magis quoniam coeteri prophætæ eundem in modum de his rebus loquuntur. Ut supra jam vidimus.
- II. Ipse etiam Servator N. J. C. cum in his terris ageret, plurima quoque de Adventu suo tertio non solum prædixit; sed & jam tum quædam facere incepit, quæ tamen in tertio suo Adventu plene demum exsecutus est. Vid. Matth. XXI, 43. sq. XXII, 7. Conf. vs. 12. Cap. XXI.
- III. Negari non potest Johannem Bapt. plurima quoque de tertio Adventu Filii Dei prædixisse, & nihilo secius tamen in confesso est apud omnes, rem rite considerantes, illum proprie Præconem & Prænuncium secundi Adventus Filii Dei fuisse, de quibus omnibus §. 10. fuse jam actum est. Ex his itaque, (ut tandem rem in summam contraham) juxta hypothesin huc usque adstructam patet in psalmo nostro vaticinium contineri de rebus in gente Judæa gestis a præconio Johannis Baptistæ usque ad excidium Hierosolymæ, & everfam funditus Rempublicam Judæorum per Romanos: quando sententia illa decretoria ultima in impiam & rebellem gentem tandem executioni fuit data, impletum illud *וַיָּבֵר אֱלֹהִים אֶת-מִצְרָיִם מִמִּצְרָיִם* vs. 22. *venitque Dominus & percussit terram anathemate.* Malach. vs. ult. Conf. Matth. III, 10. & XXII, 7. De quibus omnibus perpulchre disserit supra jam laudatus *Flaminus* in *Explanatione* h. Ps. ad verba vs. 3. *veniet Deus noster*

noster & non flebit. Et quidem sequentem in
 „modum : Hæc autem omnia, perinde ut prædicta
 „sunt, ad verbum evenerunt. Venit enim Deus
 „assumpto corpore humano, & ex Sione splendi-
 „dissimam divinitatis suæ lucem misit, quæ coecos
 „animos mortalium illustravit, sed cum impia
 „gens illum docentem & saluberrima præcepta
 „edentem crudelissime interemisset, & discipulos
 „ejus non minori odio persequeretur, divinæ iræ
 „ignis exarsit, & horrida bellorum tempestas ex-
 „citata est, quæ tecta urbis & moenia disturba-
 „vit, & gentem impiam ferro, fame, ac peste
 „consumpsit, & reliquias omnium rerum egestate,
 „atque exilio perpetuo multavit. Hæc ille. In-
 „terea tamen Deus ipsis hisce miserrimis & plane
 „calamitosi temporibus piis suis ubique terra-
 „rum quam benignissime prospexit, clementer
 „illos protegens & servans : sed & in ipso die
 „Angustiæ eos potentissime eripuit atque refu-
 „gii locum hinc illinc monstravit : præcipue in
 „urbe Pella vid. vs. 15. h. Pl. & Conf. Jel. XLIII.
 „12. Qua de re hiitoria illius temporis legi &
 „conferri meretur, quæ luculentum in h. Psal-
 „mum commentarium dabit.

§. 14.

Ne vero quisquam hæc omnia in vanum excogi-
 „tata existimet, temporisque terendi gratia tantum
 „scribi; juxta legem tertiam supra §. 3. expressam,
 „quam brevissime & eminus quasi ostendam, ipsam
 „hanc hypothesin ad Psalmi nostri illustrationem
 „egre-

egregie facere. Quicumque scriptum aliquod sacrum, præcipue propheticum: adeoque hunc psalmum, explicare aggreditur, ad hæcce quatuor attendat, illaque in clariore luce ponat necesse est. I. Ad verba & phrasas. II. Ad res verbis expressas. III. Ad personas loquentes. IV. Ad tempus de quo agitur. In his enim cardo rei versatur. Atque ita sibi invicem hæc quatuor innexa sunt, ut unum sine altero difficulter explicari possit. Quinimo qui ista vel plane negligit, vel insuper etiam habet, ne quidem unquam concionem prophetica[m] digne interpretabitur. Quod nemini ignotum qui vel a limine studium Exegeticum salutavit. Si igitur hæc omnia per illam quam proposui hypothesin, & probatam etiam dare studui, in clariore luce pronantur, suo se lumine facile commendabit spero. Ita vero rem comparatam esse ego quidem experientia fretus haud temere affirmare ausim: nolo tamen in causa propria iudicem sedere, ne fallax amor nostri mentis oculos præstringat. Etenim nostra amamus homines & suum cuique pulchrum: & ni aliunde lux accedat facile aberramus a veritatis tramite. Verum hoc confidenter dico: si vera sit hypothesin optimam sane lucem huic psalmo foenerabitur. Negari enim vix poterit ejus beneficio, sensum psalmi litteralem (quem veteres historicum dicebant) scenam prophetica[m] & implementum etiam, magna illa & præcipua in prophetiis interpretandis adjumenta, dilucidius exponi, quin & phrasas, coeteroquin satis obscuras clarius explicari posse. Quod ex ipsa psalmi explicatione, quam procedente tempore volente Deo foras dabo, ad oculum patebit.

F

§. 15. Ex-

§. 15.

Expofui itaque auxiliante Deo candide, & quantum potui perſpicue, meam hypotheſin, ad illuſtrandum Pſalmum Quinquageſimum. Brevitati operam daturus ea omnia omiſi, quæ parum aut nihil ad rem facere videbantur. Coeterum meæ mihi tenuitatis conſcius, momentum cauſæ æquis rerum arbitris, Viris veræ exegeſeos peritis, dijudicandum relinquam. Si quid recte ſcripſero, illud tanquam a Patre Luminum indefſis precibus impetratum accipiatur: ſi vero ex communi mortalium labe erraſſero, id rejiciatur & refutetur, ſi operæ videbitur pretium. Ego enim id dabo operam, ut nemo me unquam indocilem veritatis diſcipulum, aut pertinacem erroris defenſorem inveniatur, veritati unice litans.

TANTVM!

Pla-

Placuit adhuc ad illustrationem totius
Psalmi ex hypothese hactenus asserta ana-
lysin ejus exegeticam paucis addere : quo simul ipsa
hypothesis eo facilius & quasi in brevi tabella per-
spiciatur. Partes hujus Psalmi generaliores
duæ sunt :

- I. Inscriptio sive titulus psalmi. Ubi
 א. Genus psalmi indicatur voce מומור
 ב. Autor ejus.
- II. Psalmus ipse, a versu 1. p.2. ad finem usque. In quo
 duplex persona loquens introducit. Et quidem
 א. Præco quidam regius. *Qui ex hypothese est Johannes
 Baptista.* Atque ille
 A. Illustrem Regis sui adventum magnificis verbis præ-
 nunciat. a p. 2. vers. 1 - 7. Et quidem
 α. Hunc Regem gloriosis suis nominibus appellat &
 quasi præsentem sistit p. 2. vers. 1.
 β. Adventum ejus illustrem propius describit, a vers.
 2 - 7. Ubi
 a. Circumstantiæ adventus ejus vers. 2, 3.
 I. Signa adventum hunc illustrem præceden-
 tia vers. 2.
 II. Signa adventum hunc comitantia vers. 3.
 b. Scopus adventus ejus indicatur : scilicet ad
 judicium. Ubi
 I. Judicii hujus processus vers. 4, 5.
 II. Summa in judicio justitia vers. 6. Tandem
 B. Orationem concludit Præco voce סלה vers. 6. in fin.
 quasi diceret : *Silere & attendite.*

II. 2. Sequitur altera persona loquens, ipse nempe Rex Gloriae, qui ex hypothesi est Servator noster *JESUS CHRISTUS*. Cujus oratio proponitur a vers. 7. ad fin. Psalmi. Est vero illa duplex. Pars

A. Directa est ad pios & foedus servantes subditos a vers. 7-16. Ubi consideranda

α. Praefatio vers. 7. In qua

a. Allocutio, sive blanda appellatio p. 1. vers. 7.

b. Descriptio Regis de se ipso. p. 2. vers. 7.

β. Oratio ipsa a vers. 8-16. In qua

a. Cultus Leviticus antiquus rejicitur, a vers. 8-16. & quidem

I. Cum aliqua respectu priorum temporum limitatione. vers. 8.

II. Nude rejicitur respectu praesentis de quo sermo temporis, a vers. 9 -- 14. Quod

1. Proponitur. vers. 9.

2. Ratio ejus rei datur. a vers. 10-14. Quae petitur.

A. A. Ex adjunctis sacrificiorum. vers. 10, 11. De quibus asserit ipse Rex gloriae

α. α. Animalia omnia esse in sua potestate.

β. β. Sequae illa intime noscere. vers. 11. (*Quod referendum ad discrimen mundorum & immundorum ex Lege Moysi*)

B. B. Ex natura Dei vers. 12, 13. Quae ratio

α. α. Proponitur vs. 12.

II. 2.

II. 2. A. β. a. II. 2. B. B. β. β. Ulterius confirmatur. vers. 13. II

b. Cultus novus loco veteris Levitici commendatur. vers. 14, 15. ubi consideranda officia præscripta

I. In genere, vers. 14. Quæ sunt
1. Celebratio Dei per sacrificia laudis. p. 1. vers. 14.

2. Votorum perfolutio. p. 2. vers. 14.

II. In specie vers. 15. Invocatio Dei in die angustia, cum promissa liberatione: addito etiam scopo liberationis.

B. Altera orationis pars directa est ad impios & foedifragos subditos. a vers. 16. ad fin. Psalmi. In qua notanda

α. Præfatio, quæ Præconi commode tribui potest p. 1. vers. 16. Ubi occurrunt

a. Personæ ad quos. *Impii & rebelles.*

b. Persona loquens. *Deus ipse.*

β. Oratio ipsa a p. 2. vers. 16. ad fin. Psalmi. In qua

a. Acerrima improborum de peccatis reprehensio a p. 2. vers. 16 - 23. Ubi

I. Convictio de peccatis p. 2. vers. 16 - vers. 21. p. 2.

1. Proposita. p. 2. vers. 16.

2. Confirmata. vers. 17, 18, 19, 20 & 21. p. 1.

A. A. Peccatis eorum enumeratis. a vers. 17 - 21.

α. α. In Deum, adeoque primam legis tabulam vers. 17.

β. β. In proximum, adeoque secundam legis tabulam. vers. 18, 19, 20.

aa. Contra præceptum VIII. vers. 18. p. 1.

II. 2. B. A. a. I. 2. AA. β. β. bb. Contra præceptum VII. vers.
18. p. 2.

cc. Contra præceptum IX. vers.
19, 20.

* In genere: in conversatio-
ne. vers. 19.

** In specie: in iudicio. vs. 20.

BB. Iis omnibus propius ad conscientiam
improbiorum relatis. vers. 20. p. 1.

II. Comminatio certissimæ poenæ. vers. 2. p. 21. &
vers. 22. Et quidem

1. Ad terrorem incutiendum vs. 21. p. 2.

2. Ad resipiscenciam excitandam, vers. 22.

Atque tandem


b. Additur adhortatio ad emendandam vitam, ut
omnes & singuli viam in præcedentibus mon-
stratam naviter sequantur. Pro conclusione to-
tius psalmi vers. 23. Ubi

I. Officii præscriptio vs. 23. p. 1.

II. Adjuncta promissio vs. 23. p. 2.

FINIS.

S. D. G.





Index


- 1.) Seigelken de Marak, ad Exod. 15, 22-25.
- 2.) Konner de Lepre ad num. miseris. Lev. 14, 34. ad fin.
- 3.) Schlegelmacherus de Blasphemi miseris, ad historiam Lev. 24, 10-fini
- 4.) Stackmannus de Cemeterio, Moabitum Idolo. Num. 21, 29. 1. Id. 11, 24. 2. Reg. 11, 7, 33. & c.
- 5.) Wagner de Homicida involuntario egulante in urbe ref. usq. ad mortem Pont. M. Num. 35. Deut. 19, 17, 20.
- 6.) Geßlerus, de Promulgatione Benedictionum & Imprecationu e montib. Garizin & Chal. Deut. 11 & 27. Hof. 8, 30, 31.
- 7.) Opinus de Septuaginta ejusq. in Rupem Salutis sua delictis, ad Deut. 32, 15.
- 8.) Kulenkamp de Nisroch, Idolo Affricorum. 2. Reg. 19, 37. & Esai. 37, 38.
- 9.) Henius de Cemariam ad 2. Reg. 23, 5. Hof. 10, 5. & Zephan. 1, 4.
- 10.) de Cuijper de Promissionibz, quas Esphazus Saba offerit. Job. 22, 24, 25.
- 11.) Henius de Rivis fluvii, urbem Sci & habitacula Allisipini latificantibz. ad Pf. 46, 5.
- 12.) Ep-Brookhausen Specimen Geographos sara pro explicando Pf. L.
- 13.) Henius de Stylo, ut Palma germinante, ut Cedrus in libano crecente ad Pf. 92, 13.
- 14.) Rhodius de Excubiis Patrum expectantium Mare N. T. ad Pf. 130, 6.
- 15.) Treyer ad Locum Pf. cxxxii, 17.
- 16.) Niemödt de fecunda Fratrum Concordia ad Pf. cxxxiii.
- 17.) Lampe de Pruna ab altari sumta ad Pf. 6, 6.
- 18.) Henius de Pravitate Israëlis subactione & peccatorum in profundissimū mare projectione ad Mich. 7, 19
Bauer de AEnigmatē Propheta Zacharia Cap. 1X, 17. (Vid. Tom. I. ad Bibl. N. T. ad hoc sign. **)
- 19.) Henius de Anathemate quo Deus, ob Regia-manifestati rejectionem, terram percussit Malach. 4, 6.
- 20.) — de Finibz Terra promissa hujusq. successivā occupatione.
- 21.) Rhodig de Noviluniorum ap. Hebraos facies. Num. X, 10. xxviii, 11-15. & c.
- 22.) Büfing de Tabis Hebraorum argenteis. Num. X, 1. & c. Pars I.
- 23.) ————— Pars II.
- 24.) Brünings de Sacrificiis Eucharisticis. Lev. III & c.
- 25.) Stackmann de Quobz Panibus Pentecostalibz. Lev. xxiii, 17. Pars I.
- 26.) ————— Pars II.
- 27.) Flake de Oblatione Thuris, feris jungi soluta. (Vid. Epist. de Mysterio Thuris, V. Tom. V. ad B. V. T. n. 409)

[Faint, illegible handwriting on aged paper]

3







the scale towards document



facierum dabant. His autem testimonium allatum, quo igni holocaustorum thus hoc ferit minimè repugnat; ille enim non lo- mpli secundi, sed de altari tabernaculi, in distinctio locum habuisse non videtur; velive est cogitare, JOSEPHUM omnem em ita vocare, quoniam is ejus usus ad ope holocausta præcipuus erat, unde ip- e holocausti dictum fuit, vid; RELAND. de pl. Rev. IKEN ad Tamid. locum cit,

§. XVI.

hæc injectio thuris in ignem non manu, at disertè docet MAIMON. in Maase. Hak- (pugillum nempe ferti cum thure) in vase ministerii. Deinde requirebatur ut, omnes oblationes interdù fieri debebant, Maase. Hakkorb. cap. IV. §. 1. etiam thus deretur, idque iplo die quo adductum es- sequente enim demum die illud adolere Judæi censent, & excidii pœnam huic cri- MENACH. Cap. I. m. 3. unde nec Thus onis additum, extra Sabbathum quo illud emensa tollebatur igni dare, vel etiam alio ad hanc mensam inferre licuit, vid. ME- quia hoc ex illis operibus erat quæ, ut Ju- int Sabbathum, id est non obstante Sabbathi uerunt. Tandem ante omnia quoque omne npe pugillus, vel in panibus propositionis terò vesperi in ignem mitti, neque vel mi- lios usus converti debuit. Quod privum m solum ex omnibus oblationibus, ita uti oblatum ebuit, v. MAIM, in Maaf Hakkorb. Cap. XVI. oblationis thuris nihil addimus, cum illud idem

Ejus cir- cumstantie.

E 2

esset